

Dissertatio inauguralis medica de natura dysenteriae ejusque curandae modo ... / in arte medica et chirurgica honoribus die XII. Sept. MDCCXCII. defendet Johannes Jacobus Vibrans.

Contributors

Vibrans, Joannes Jacobus.

Publication/Creation

Goettingae : Typis H. M. Grape, Acad. Typogr, [1792]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/smejey2a>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

8
DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

DE

NATURA
DYSENTERIAE
EIVSQVE
CVRANDAE MODO

QVAM

ILLVSTRIS ORDINIS MEDICI
CONSENSV

PRO

RITE OBTINENDIS SVMMIS
IN
ARTE MEDICA ET CHIRVRGICA
HONORIBVS

DIE XII. SEPT. MDCCXCII.

DEFENDET

JOHANNES JACOBVS
VIBRANS

Brunsvicensis.

GOETTINGAE,
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

80

DISSERTATIO IN ANATOMIA
MEDICA
DE
NATURA
DYSENTERIAE
EIVSQVE
CURANDA MODO

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

ILLUSTRISSIMO ORDINE MEDICI
CONSENSU
RITE OBTINENDIS SVMMIS
IN
ARTE MEDICA ET CHIRURGICA
HONORIBVS
DIE XVII. SEPT. MDCCXCI.
DEVENDET
JOHANNES JACOBVS
VIRRIANVS
Brensbacherus.

GOTTINGAE
H. M. GRAEF. ACAD. TYPOG.


P R A E F A T I O.

Pauca de dysenteriae natura curandique modo differere placuit; non, quo me novi quidquam in medium prolaturum sperarem, sed, ut quaecumque meorum in Arte Medica progressuum specimen exhiberem. In quo praeter alia, illud mihi vitio maxime verti posse autumabam, quod Virorum, in hoc genere Peritissimorum atque Celeberrimorum auctoritates defugerim, veluti nimis mihi confidens aut aliena spernens. Quam sive confiden-

tiam, sive superbiam, etsi ii, qui me no-
runt, quibusque hoc totum comparatum
est a meis moribus longe abesse persuasi
sunt; tamen eorum caussa, quibus pror-
sus ignotus sim, quorumque in manus
haec fortasse scriptiuncula incidat, non-
nihil de consilio, in hac re, meo prae-
mittendum' putavi. Quidquid a juve-
num, qui summos in medicina honores
ambiunt, immaturitate expectari potest,
cognitio eorum est, quae e scholis magi-
strorum hausserunt, & cogitando, medi-
tando atque comparando ad ordinis seve-
ritatem redegerunt. In quo sane non pro-
prie eruditio, quae in hujus aetatis im-
becillatem haud cadit; sed studium, dili-
gentia atque elaboratio spectantur. Ho-
rum vero explorandorum duplex modus
est; alter examine instituendo, alter scrip-
to probando constans. Ille scientiam po-
tissimum

tissimum atque promptitudinem; hic iudicium maxime propositum sibi habet. Uterque & a Facultate medica ad tentandos juvenum profectus sapienter institutus est; cum utroque lectionis ostentatio auctoritatumque jaectatio non necessario est conjuncta. Etenim in toto hoc genere, non quantum quisque legerit; sed quod de rebus propositis memoria teneat, & quo ordine, quaque subtilitate, sibi permissus de iis judicet, interesse apparet. Quae cum mecum reputarem, & officio meo, & Illustrium Virorum de me expectationi me satisfacturum putabam, si, quidquid de gravissima quadam Artis Medicae materia cognossem, meoque modo elaborassem, publice proponerem, ut, quae, adjuncto usu, spes de me concipi posset, intelligeretur. Neque vero illud ad ja-

tionis speciem recte trahi posse existima-
bam, quod copiam remediorum commu-
nium laudaverim, cogitans, qui per se-
decim ipsos annos in pharmacopolio ver-
satus sit, eum fidem facile lectoribus factu-
rum se, nisi temporis diuturnitate talia
cognovit, aut stupidum aut levem esse de-
buisse.



§. 1.

In multis variisque morbis, quibus corpus humanum invaditur, dysenteria nec rara est, nec periculo magno saepe caret. Periculum hoc augetur neglectu atque contemptu, praecipue in pagis, ubi a remediis acribus mali sive curatio sive obstructio peti solet.

§. 2.

Dysenteria copiosa alvi excretionem cernitur, ad acrimoniam perniciosam tollendam sapienter comparata. Quae via tamen nec unica, nec sufficiens est, quod

crisis perfecta non raro sudore tantum efficitur, eodemque non nimis mature accedente, morbus ipse tollitur. Sudor ipse e tota corporis superficie erumpens, multum materiae noxiae, sanguini admixtae, ejiciat necesse est, idque celerrime, repente atque copiose. Quanta enim vis ejus sit, vel exinde intelligitur, quoniam in statu sano, per insensibilem adeo transpirationem, magna ciborum potuumque pars evaporat.

§. 3.

Nec in curanda dysenteria Ars medica ejectionem illam salutarem negligit. Quamvis enim, pro temporum rationumque reliquarum necessitudine ad remedia sopientia confugiat; tamen & remediis diaeteticis utitur, quippe quae, transpirationem

tionem sensim promoventia, crisin illam nisi excitent, certe non impediant.

§. 4.

Morbi ipsius vis quatuor, potissimum signis agnoscitur, quibus eum a reliquis, ipsi adfinibus, discernere licet; I) Febri, II) torminibus, III) alui profluvio, sanguine mixto; IV) tenesimo. Quae signa sane constantia sunt, sed non eodem semper gradu. Diversitas tum a causis morbi pluribus vel paucioribus; tum majore minoreve universi corporis, singularumque ejus partium, prae ceteris affectarum, irritabilitate pendet.

§. 5.

Accedunt cum ante, tum post eruptum morbum dolores capitis, nausea, vomitus spontaneus, lassitudo, dolores

dorfi atque articulorum &c. Quae cum dysenteriae characterem haud constituent, sed maximam partem ab iis, quae § antecedenti nominata sunt, signis pendeant, & quodam modo majorem minoremve ejus malignitatem prodant; infra, per opportunitatem, excitabuntur.

§. 6.

Causa dysenteriae *proxima*, *acrimonia* est, quae intestina vehementer afficiens, sedemque ibi suam figens vi sua morbo locum facit. Acrimonia sive in corpore evoluitur, sive contagione communicatur, nec nisi a causis praedisponentibus universalibus profecta atque accumulata morbum universalem, sive epidemicum reddit. Causas universales eas intelligo, quae oriuntur a rebus, plures homines aequae attingentes, in eosque
agentes

agentes. Quae, si a corporis, alimentorum motionis &c. varietate atque modo pendeant, ad particulares referendae sunt, atque rationem suppeditant, quare dysenteria interdum sporadica grassetur. Jam cum communis quaedam opinio experientiaque constans probaverint, dysenteriam epidemicam non nisi a solis aestivi ardore vehementi atque diuturno repetendam esse; in modum inquirere placet quo sive ardor iste, sive calor auctus corpus animale afficiat, quaque ratione causa dysenteriae praedisponens dici possit.

§. 7.

Scilicet cum calor auctus transpiratione vehementi atque insensibili magnam humorum copiam corpori detrahat, humoresque remanentes stipet; apparet, acrimoniam salis graviorem, pondere suo depressam

pressam, in corpore accumulari in unumque conferri, sive concentrari. Acrimonia haec saepe ante dysenteriam erumpentem agit, veluti pruritu, exanthemate, doloribus articulorum vagis &c. Quae molimina rheumatica ut, erumpente morbo, saepe cessant, ita non raro, per totum ejus decursum aegros vexant, nec nisi sudore critico, sanitatem restituyente, tolluntur. Idem calor humores corporis animalis putridos promovet, inde, nisi forte contagium praecesserit, ortos, quoniam causa qualiscunque impedit, quo minus sanguinis reliquorumque humorum motus suam in partes solidas atque fluidas vim habere possint. Constat vero, qua ratione atque proportione motus progressivus imminuatur, eadem motum sanguinis intestinum augeri.

§. 8.

Putredo ipsa solutione partium solidarum atque fluidarum morbosa, praecipueque evolvendo sale volatili absolvitur. In quo quidem calor vim maximam habet. Hic enim, cum extendendo corpore nexum idoneum imminuat, partes solutiores h. e. minus connexas reddat, efficiatque ut in fluida vim sufficientem habere nequeant; necesse est, ut partes solidae relaxentur. Eadem ratio fluidorum est, quae & ipsae calore extensae, in majus volumen expanduntur, nexumque certum tollunt. Sed vis caloris eo fortior est, quo magis aër humiditate impraegnatur. Haec enim partes solidas, a calore jam relaxatas, plus etiam emollit. Quod quidem inde maxime probatur, quoniam morbi putridi ibi potissimum epidemici evadunt, & praesertim, praecedente calore, erumpunt, ubi aquae
copio-

copiosae stagnant, aut paludes alte demersae foetent. Cujus generis exemplum Aegyptus exhibet, vbi Nili inundationes, mense Augusto, pestem vomere dicuntur, idque eo magis, quo diutius regioni huic calidae incumbunt.

§. 9.

In dysenteria vero, praesertim maligna, humores esse putridos non tantum excrementis foetidis atque spumantibus, feбри miliari atque petechiali, interdum accedente, item crisi, ab vrina atque sudore saepe orta apparet; sed vel maxime inde intelligitur, quod morbus contagione propagatur. Constat vero lympham tantum corruptam, sive acrem & putridam contagioni inservire. Atqui si dysenteria contagione inficit; morbi materia in viis secundis quaerenda est, vbi, vt e cutis pruritu

pruritu &c. apparet, ante morbum & per decursum ejus latebat. Quo in genere tenendum tamen est, eam hinc subtiliorem volatilioremque esse, nec tantum ab excrementis & vrina, sed etiam transpiratione expelli, aegri atmosphaeram valde stipare, atque verifimiliter ope putredinis, cum hanc, tum inficiendi vim nancisci. Nec dijudicari sane potest, quo modo, grassante dysenteria, contagio fiat; vtrum, sine humorum, in primisque lymphae putredine, per excrementorum evaporationem; an, vt in calore sudoreque critico fit, per exsudationem cutis, exhalationem &c. De qua contagione, quatenus quidem ad morbum hunc pertinet, antequam ad causas ceteras praedisponentes & occasionales perspicuas transgrediar, pauca dicere lubet.

§. 10.

In morbo quolibet contagione communicato, id, quod inficit, non nisi parva lymphae corruptae particula esse potest, quae, contagione incipiente e corpore aegro, per varias ejectiones expulsa, in corpus sanum transfertur. Haec materia inficiens five inhalatur, five, ope salivae, ad primas vias immediate traducitur, five a vasis inhalantibus resorpta, secundarum viarum humoribus admiscetur. Quamvis autem magna hujus materiae portio per vias dictas in corpus penetret; illud tamen dubium incertumque est, num, sine caussis praedisponentibus, in corpore sano idem morbus aequè celeriter, atque in contagio fit, efficiatur. Certe hoc necessarium videtur, ut lymphæ serumque hucusque sanum, a materia inficiente penitus atque ita mutetur, ut eandem naturam induat eosdemque effectus edat.

§. II.

Quodsi ab aliis morbis iudicium fiat ad dysenteriam; caussae praedisponentes haud semper in corpore necessariae, sed saepe vnice a contagione oriri posse videntur; quamquam in vtramque partem multa disputare licet. Pestis v. c. morbilli, scabies contagione celeriter communicantur, h. e. materia contagiosa, in corpore sano eundem morbum repente movet. Similis ratio variolarum, tussis ferinae, luis venereae aliorumque morborum est, siue contrectando siue alio modo communicatorum. Quo in genere illud mirum, notatuque dignum est, quod materia morbosa in corpore infecto ibi saepissime vim suam monstret, vbi in corpore inficiente apparet. Ac verisimile est corpus, alias sanum, si materiae corruptae atque contagiosae partem aliquam receperit a morbo ipso va-

— —

cuum manere posse. Neque enim repugnat, antequam materia fontica partem qualemcunque corripit, eam per easdem, quibus multa nociva atque superflua remouentur, vias ejici, transpirationem puto insensibilem atque vrinam. Cum igitur materia adeo subtilis, volatilis atque communicabilis a putredine oriatur; necesse est, vt haec arctissimam inter particulas salis subtiles, volatiles acresque conjunctionem producat, &, vt eadem materia, e sanguine secreta, euaporata aut aliis viis deposita atque ejecta easdem induat qualitates. Unde apparet, si humoribus sanis admisceatur, eam hos sibi prorsus adfimilare, atque vehementer augeri. Quod quidem in variolis artificialibus perspicuum est, vbi paullulum materiae variolosae vim suam per vniversum propagare corpus valet.

§. 12.
 E quibus omnibus sumere licet, caussam dysenteriae a calore ejusque in corpus vi, paullo ante commemorata, repeti posse. Quo loco haud praetereundum, eodem caloris effectu aliis in corpore perturbationibus locum fieri; quo pertinent acrimonia aucta, atque eruptio dysenteriae ipsa. Nam bilis secretio ab humoribus crassis atque tenacibus, obstructionem hepatis facile excitantibus; sive etiam acrimonia, spasmus in arteriis venisque, sanguinem in systema portarum traducentibus, promovente, impeditur; unde accidit, ut iusta, & ad praeparandum e ciborum chymo, chylum idonea copia ad duodenum haud delabatur. Quo, si accedant cibi aut nimii, aut difficulter digerendi; apparet, digestionem perturbata, cibos in primis viis diutius morari, atque

adeo vegetabilia acori, carnes vero putredini infervire. Quam ipsam vim bilis sola, in intestina redundans, habere potest, quippe cujus defectu irritatio necessario impeditur, motusque peristalticus promovetur. Est vero bilis, vt aliorum humorum omnium, hoc proprium, vt diu, in receptaculo suo retenta, ad putredinem declinet. Quod ipsum celerius, quam in ceteris fieri, attendendis & secretionem ejus, & functionibus singularibus, eo pertinentibus, apparet. Quidquid vero evacuationem, sive effusionem bilis copiosam efficit; quo causae internae, veluti affectus, in primisque ira, iracundia &c. pertinent; id ipsum dyfenteriae locum facere potest.

§. 13.

Praeterea & vsus vini adusti frequens stipandis humoribus infervire, atque adeo,

remote

remote quidem, caussa dysenteriae praedisponens fieri atque esse potest. Nam spiritus vini lympham coagulabilem condensat, & vi sua admodum irritante, humores valde extenuat atque involuit, eoque modo corpus exsiccat. Quae omnia in hominibus de plebe, praecipueque rusticis eo frequentiora sunt, quo propter negligentiam, paupertatem atque inopiam munditiae, in dysenteria observandae, pluribus caussis dysenteriae & praedisponentibus, & occasionalibus, ipsique adeo contagioni ansam praebent. Nec dubitari potest, quin morbi vis in pagis severius grassatura sit, nisi rusticis minor irritabilitas neruique fortiores peropportune contingant. Sunt & aliae caussae praedisponentes, quae faciant, vt acrimonia collecta atque accumulata ad intestina reji-

ciatur; quod quomodo eveniat, cum supra monitum sit, ultra persequi nihil attinet.

§. 14.

Eruptionem morbi accelerare possunt causae v. externae, v. internae, v. utraeque simul. Illae frequentissimae sunt, oriunturque a transpiratione insensibili, per aërem frigidum repente oppressa, aut certe valde imminuta. Ac vesperae quidem subfrigidae, noctesque & aurorae frigidae erumpendo morbo materiam praecipue praebent. Quod si vasorum exhalantium fibrillae frigore constringantur, aut vasa exhalantia, per corporis superficiem, sub cute dispersa, coarctentur — hanc enim frigoris vim esse constat — non tantum transpiratio insensibilis, pro vasorum exhalantium majore minoreve coarctatione plus minusve interrumpi debent; sed ex-

cretio

cretio etiam in partibus internis augetur. Lex enim certa est, qua excretionem altera imminuta, alteram augeri scimus. Nec temere fortasse statuitur, oppressa transpiratione, suctionem crescere; quo probato, sequi videtur, si aër miasma nocivum receperit, contagium eo facilius scripturum, quo plus transpiratio sit interrupta.

§. 15.

Jam fructus horarii, praecipueque poma granaria, olim in caussis, dysenteriam promoventibus posita, quorumque adeo vel sudor morbo materiam suppeditare posse putabatur, nunc recte in caussis occasionalibus recensentur. Nec dubitandum, quin, materia morbi in corpore suppetente, usus frequens fructuum non satis tempestorum, & propter massam & ob qualitates suas dysenteriam maturet.

Acor certe atque acrimonia latens & involuta quorundam pirorum & pomorum granariorum feriorum, si primis in viis evoluantur, irritationem excitare accumulationemque humorum ibidem augere possunt. Praeterea multitudo eorum & frigus & spasmos adeo efficit; unde digestio variis modis perturbatur. Denique aër fixus evolutus, si contractione intestinorum inaequali inclusus, plus diluitur atque extenditur, causam illam auget.

§. 16.

In fructibus contra dysenteriae, in primisque malignae, salutaribus commendantur a scriptoribus celeberrimis vuae, cerasi &c. Nec puto, quemquam esse, qui fructibus hisce aliquam evoluendi putredinemque impediendi vim deneget, praesertim, ubi cum usu eorum aër liber salutarisque est conjunctus. Quamquam
medi-

medicorum juvenum est, illam ipsam vim
e medici promptuario petere.

§. 17.

Suppetente acrimonia, ad causas occa-
sionales etiam sudor vehementis pertinet.
Transpiratio enim haec insensibilis nimis
aucta, excretionis vehementis instar, vasa
exhalantia ita debilitat atque relaxat, ut
paullo post nihil prorsus a transpiratione
insensibili ejiciatur. Sanctorius quidem, a
meritorum magnitudine aestumatissimus,
per septem ipsos annos, quibus transpi-
rationem insensibilem praecipue constitu-
ere studebat, invenit, si graviter sudasset,
per horas viginti & quatuor proximas pon-
deri nihil decessisse suo. Jam, si hac, si-
milibusque de causis plures humores ad
interiores corporis partes delabantur, quo-
niam causis praegressis particulae salinae

arctatae atque concentratae sunt, pro ratione multitudinis atque acrimoniae plus minusue efficere valent, & quidem irritatione, qua in partibus corporis sensibilibus spasmi excitantur.

§. 18.

Acrimonia, qua proxima dysenteriae caussa, in erumpendo quidem, maximam partem intestina afficit, quo sane contractioni repetitae locus datur. Sedes autem morbi tum in intestinis crassis est, tum frequenter etiam in tenuibus versatur. Ibi colligitur & excretionem, quae, finito dolore statim incipit; & dolore ipso, qui in regionibus hypochondriacis sentitur. Hic vel excretionem, aliquanto post dolorem, accedente; vel dolore, in regionibus umbilici prorupte.

§. 19.

Symptomata autem dysenteriae praecipua, ab initio disputationis citata, hoc fere modo ab acrimonia ejusque irritatione proficisci videntur. Ac *primum* contractione spasmodica frequentiore humor intestinalis mucusque, ad conservandam lubricitatem destinatus, multo copiosiores, quam statu sano fieri solet, exprimuntur. Atqui cum irritatione humores accumulentur; fieri non potest, quin irritatione continuante, contractioneque saepius repetita, tandem sanguis eliciatur. Quod ipsum eo facilius copiosiusque fieri necesse est, si quid sanguini admixtum haereat, quod ejus fluiditatem conservet. Id vero putredini maxime proprium est, ut ex extravasationibus sub cute, per febres malignas putridas praecipue videre licet.

§. 20.

Deinde, quoniam ab eadem acrimonia, praeter alia, intestinum rectum praecipue irritatur atque afficitur; tenesmus originem ducit. Ac verisimile est, cum acrimonia, in haud parvam intestinorum regionem agat, ea ipsa re idem fere accidere, quod evacuanda aluo, deprimendo diaphragmate, atque musculis abdominalibus introrsus retrahendis evenire solet.

§. 21.

Tertio, magna intestinorum sensibilitas, a neruorum, ibi disperforum, multitudine profecta efficit, vt, si illa vehementer irritentur, & motu admodum aucto atque vermiculato, nunc contrahantur, nunc expandantur; dolores acuti, pungentes, torminosi, omninoque ii oriri soleant, quos torminum vocabulo complecti solemus.

§. 22.

§. 22.

Denique, dolores hi insigniter aucti semper febrem symptomaticam excitant; quod in dysenteria levi, atque diarrhoeae instar incipiente, contra accidit. Hic enim, antequam dolores acuti vehementesque accesserint, febris fere nulla sentitur, nec, nisi incrementibus doloribus, prodit. Febrem autem, hoc in morbo cum putridam, tum biliosam esse posse, ex iis, quae supradicta sunt, apparet.

§. 23.

Dysenteria aut *benigna*, aut *maligna* est. *Maligna* increfcit, deteriorque fit, vel causis multis cooperantibus, vel sede ejus alte fixa, vel putredine insigniter aucta; mortalisque adeo evadit, accedentibus, per epidemiam, causis secundariis, veluti aëre calido eodemque humido, atque

que mala conditione & tractatione. Signum autem malignitatis praecipuum habetur virium omnium ab initio statim exhaustio, a nullis aliis causis perspicuis profecta. Haec enim alias aliquanto post, per ipsum morbi decursum accidit, ejecta magna lymphae chylique, si quidem adhuc praeparatur, parte, antequam reforberi & in sanguinem transferri possit.

§. 24.

Benigna contra *Dysenteria* est, ubi sedes non nimis frequententur; febris mitis atque vix sensibilis appareat; dolores non nimii pungant, haecque omnia per totum morbi decursum continent, & morbus ipse quinto, sexto aut septimo die finiatur. Si vero sedes rarae quidem evadant, sed iidem dolores continuo vexent; causam morbi nullo modo imminutam concludere

dere licet; alterum tamen fere altero adjuvatur.

§. 25.

Resolutio aucta, atque adeo major ad putredinem inclinatio sanguinem cum excrementis & muco intime mixtum declarant. Sin minus; aut nulla aut levis putredo subest. Dolores vero, qui per morbum admodum gravem, ante ipsas adeo sedes, continui eodemque loco veluti fixi saeviant, vrant tactuque ingravescant, accedentis inflammationis signa habentur.

§. 26.

Saepe etiam fit, vt morbo durante, magna copia mucii albi, puris instar, sed interdum haud sanguinolenti, secernatur. Quo in genere tamen bilis nulla effunditur, siue haud secernitur, siue etiam du-

ctus

ctus spastice contracti, compressi obstructiveque laborant. Quod si mucus ille pure vero constet; inflammationem vehementem, purisque indicia praecessisse necesse videtur.

§. 27.

Denique doloribus repente imminuentibus ita, ut, sine aliorum symptomatum imminutione, sedes non animadvertae sequantur; aut sphacelus, aut intestinorum paralysis subest. Quoque diutius morbus, absque symptomatum, in primisque febris decremento, perdurat, eo peior conditio tristiorque exitus est timendus.

§. 28.

Si diebus criticis cutis linguaque humida, & urina, veluti cocta appareant; si haec vberior, quam pro consuetudine
 fluat;

fluat; postea vero symptomata minuantur; partem acrimoniae ejectam conjicere licet. Quos motus criticos, si nullo sequitur levatio, concludi potest, acrimoniam in corpore adhuc copiosam esse, magnaque vi agere.

§. 29.

Si morbus per aliquod tempus acerrime saevierit, & per lassitudinem gravem membrorum externorum, veluti manuum atque pedum frigus ingravescere coeperit; si labium superius cum naso & manibus frigescant, & albescant; humorum haesio atque mors haud longinqua denunciatur. Quin & singultus, convulsione diaphragmatis constans, &, utpote vitium respirationis, in morbis omnibus acutis periculum prae se ferens, si absque articulorum externorum frigore accedat, statum periculofum

culosum, cumque hoc simul mortem proximam minatur.

§. 30.

Curandae dysenteriae eadem, quae ceterorum morborum ratio est. Primum enim omnium causa ejus tollenda: quod cum saepe, absque aegri periculo, & nisi natura adjuvante, fieri nequeat; operanda, ut morbi effectus, symptomata dico, debilitentur. Quare statim ab initio viae primae purgandae, in primisque ab acri bile, si qua forte adsit, exonerandae sunt. Quo quidem inserviunt emetica; veluti dimidia drachma hypecacuanhae, siue 3. 4. gr. tart.emet. sufficienti aquae portione soluti, & ad effectum usque idoneum sumti. Multi vero sunt, qui in hoc morbi genere tartaro emetico hypecacuanham praeferant; nec temere,
acria

acria enim omnia a dysenteria sunt removenda. Et rari casus sunt, vbi conditio corporis morbosa eademque topica impediatur, quo minus emetica salubriter admoveantur. Praeterquam enim quod primas vias purgent; vim habent motum nimis peristalticum in antiperistalticum mutandi. Sudor quidem, aut transpiratio, ab emetico aucta, quoniam excretio haec violenta non nisi symptomata est, vix usum magnum habere videtur. Die sequenti depurgatorium lene, ex fructu tamarindorum atque manna, interdum cum cremore tartari mixtum, aegro praebendum. Nec nociva putanda drachma rhabarbari, ad impedienda nova tormina, cum duabus tribusve guttis olei destillati chamomillae misti. Post aeger quotidie, repetitis vicibus, jubendus fumere cochleare parvum gummi arabici contusi, proque

potu ordinario, decoctum saturatum oryzae, s. jusculum e polenta avenacea, aut ptisanam, omnia tepida atque sufficienti portione. Loco gummi arabici adhiberi possunt gummi cerasorum, pulvis radicum salep, ichthyocola, siue gelatina e lichene islandico. Ad intendendam vero transpirationis vim vna alteraque scutella infusi florum sambuci, vesperi potissimum consulto admovetur.

§. 31.

Atque haec quidem curandi ratio in dysenteria levi, nec periculosa, sufficit. Si sine morbi sedes non vltro sponteque desinant; imo absque omni irritatione diu adhuc continuent, atque timendum sit, ne in diarrhoeam habitualement degenerent; extractum cascarillae aquosum, in aqua solutum, fructu magno haud caret.

§. 32.

§. 32.

Si dolores acuti atque tenesmus vexent; admovendi clysteres emollientes ex herba maluae, altheae, floribus sambuci, chamomillae, in lacte coctae, admista portione olei, veluti liliorum alborum s. chamomillae. Ejusdemque generis fomenta ventri applicantur, aliquoties per diem suppetitatis 20 gutt. laud. liq. Sydenh. item vesperi, ad somnum fere semper deficiens promovendum, tenesmumque & dolores compescendos: quibus iisdem & tinctura Thebaica, item extractum opii, aut opium ipsum inservit.

§. 33.

Suppetentibus fordibus multis gastricis, potus tamarindorum repetendus est, emetico tamen praegresso. Quo ipso opus est, si, vt in dysenteria maligna interdum

fit, obstructions symptomata quaevis depravent. Omnino in remediorum euacuantium vsu dies critici, atque vires aegri obseruandae sunt. Apparentibus signis inflammationis, venaesectio adhibenda; Emulfiones cum nitro & camphora supeditandae, atque locis ventris dolorosis vesicatoria applicanda; quibus ipsis admiscetur paullulum camphorae, quo quidem impediatur, ne, cum stranguria per se interdum cum dysenteria conjuncta sit, sal acre cantharidum in vias vrinales agat.

§. 34.

Si pus colligitur, abstergentium vsus necessarius est, nec inutilia censenda decoctum radicum fenegae, cum melle mixtum, sive harum radicum pulvis, sed portionibus parvis; item potus radicum cichorei, taraxaci, graminis, polypodii,
liqui-

liquiritii, atque serum lactis tamarindinatatum.

§. 35.

Obferuatis autem humoribus putridis, remedia evacuantia ex parte omittenda; plusque transpirationi augendae studendum: suppeditanda acida, putredini resistentia, potibusque praeter liquores acidos, syrupum rubi idaei, ribium, berberim &c. succus citri addendus. Putredine insigniter aucta, praebenda acida mineralia; qualia spiritus vitrioli, elixirium acidum Halleri &c. Omni vero modo putredini resistendum; calor imminuendus; materia morbosa remediis, crisin promoventibus, maturanda, i. e. fecernenda, atque favente natura, e corpore expellenda. Ad vires corporis confirmandas vtendum analepticis, veluti naphtha nitri, vitrioli,

spiritu nitri dulcis, liquore anadino: quod si vires prorsus deficient, confugiendum ad cinchonam cum serpentaria, vinum Rhenanum & Moselanum vetus, aliaque antiseptica excitantia. Praeterea per epidemiam malignam id praecipue curandum, ut aër, aegrum proxime circumdans, quantum fieri possit, purus conservetur: notum enim, inclusum admodum nocere. Quare haud plures sive aegri sive sani vno eodemque in cubiculo tolerandi, aërque saepe ac diligenter purgandus.

§. 36.

Finito morbo, viae primae corroborantibus adjuvandae, ut extracto cortico aurantiorum, radicum gentianae, herbae cardui benedicti, trifolii, centaurei minoris, aqua soluti, sive ejus essentia. Idem usus infusi frigidi corticis Chinae, decocti
Chinae,

Chinae, extracti Chinae, aqua cinamomi soluti, Chinae pulveratae, cum cinamomo; cascarillae &c. Nec eorundem vsus aliquanto post sanitatem restitutam negligendus; quo tempore convalescenti commendanda in primis cautio a frigore, aëre humido, & per appetitum, tum fere admodum acrem, cibo nimio concoctuque difficili. Quare praescribendi cibi sufficienter tantum nutrientes, digestuque faciles; e quo genere dauci fatiui Linn. cichorium, scorzonera, petroselinum, caro columbina, pullina, vitulina &c.

§. 37.

Grassante dysenteria, contagium per saepe caveri potest conseruanda, quantum fieri licet, transpiratione insensibili; cuius causa timor morbi abjiciendus: it. evitanda, per somnum, corporis nuditate;

fugiendis fructibus intempestiuis, nimio
carnium, in primis, suillae usu, potibus-
que frigidis in corpore calefacto. Contra
fruendum maxime cibus, & concoctu fa-
cilibus, & transpirationem augentibus;
potu vero utendum non tantum sufficienti,
sed etiam, qui sanguini diutius admixtus
haeret. Aquae igitur admiscendus syru-
pus althaeae simplex, capillorum veneris,
sive emulsiuus; it: acetositatis citri, berbe-
ris, cerasorum acidorum &c. Praeter
prandii atque coenae tempus huic consilio
maxime inservit usus modicus cerasorum,
praecipue acidorum, vuarumque matura-
rum, quae vim diureticam & antisepticam
habent. Omnium vero maxime hîc consu-
lendus potus e polenta, idemque quotidie
recens coctus; sed dolendum, eum ob
saporis injucunditatem a gulis lautioribus
fere

fere repudiari. Quibus omnibus addendus corporis motus, ad excitandam transpirationem insensibilem idoneus: Nec negligendus vestitus, in quo, vt alibi, ita & hîc saepissime peccatur.

§. 38.

Quod si ad praecavendum morbum medicina opus sit, fortasse, vino adfuetis, profit cascarilla, essentiae instar, cum spiritu vini praeparata, vinaque sumta: Vino autem nec adfuetis, nec aptis, extractum cascarillae, aqua praeparatum, & aqua cinamea solutum. Denique potu caffee delectantibus non parum conveniant glandes querceae ficcatae, nec nimis tostae, loco caffee sumtae, aut cum eadem mistae.

Saepissime fit, vt a Medico tum demum salus petatur, cum per plures hebdomadas aut nulla, aut domestica tantum remedia frustra adhibita sint. Quae ipsa, cum non raro iis adjungantur, quae Medicus praescripsit; apparet, quare summae adeo artis absolutio interdum successu careat, & quanta attentione opus sit, praecipue in pagis, vbi nihil hoc vitio frequentius reperitur. In remediis autem domesticis vsitatissimis sunt rhabarbarum; Rhabarbarum tostum; Gentiana rubra; Ostrutium s. Imperatoria; Asarum; Winteranus cortex s. Canella alba; Zingiber; Curcuma; Santalum rubrum; Rubia tinctorum; Hypericum; Malicorium; Theriaca Andromachi interne atque externe adhibita; Philonium Romanum; Diascordium Fracastorii;

rii; Sanguis hirci inspissatus; Sanguis draconis; Hæmatites; Cinamomum; Mofchata nux: Macis; quae ultimae fere vino rubro sumuntur. Rusticis praeterea per dysenteriam, in usu sunt pulvis baccarum lauri, cum cerevisia tepida; iisdemque successu carentibus, piper nigrum pulverisatum vino adusto.

T H E S E S.

I.

*Sudor sani hominis, s. motu corporis,
s. alimentis, s. medicamentis emissus,
nocet.*

II.

*Remedia emetica & laxantia in medio
morbi decursu adhibita, plerumque
crisin morbi turbant.*

III.

*Contagia morborum non minus inter se
differunt, quam stirpium semina.*

IV.

*A purgantibus fortioribus in dysenteria
prorsus abstinendum.*

V.

*Petechiae non pertinent ad cutis exan-
themata; sed nihil aliud sunt, quam
sanguis putridus, sub cuticula suffusus.*

VI.

*Usus vini quotidianus magis nocet quam
prodest.*

VII.

VII.

*Potus tempore prandii v. coenae haustus
noxius.*

VIII.

*Herba nicotiana iis, qui fumo ejus utun-
tur, nocet.*

IX.

*Genus humanum singulis generationibus
paullulum debilitari necesse est.*

X.

*Nec sensus, nec motus in corpore ani-
mali, sine liquore nervorum, physica
& mechanica ratione explicari possunt.*

XI.

*Dogmata medicinae praedicae latine con-
scribere praestat, quam lingua germa-
nica.*

XII.

*Variolarum miasma non in corporibus
latere, sed foris accedere videtur.*

Potus temperate paratus a coarctatibus
moribus.

VIII

Haec de necessitate vis, qui sermo eius est
tam, nocet.

IX

Genus humanum singulis generacionibus
quodlibet habitus i. necesse est.

X

Nec sensus, nec motus in corpore
aut, sine liquore nervorum, spiritibus
& mechanica ratione explicari possunt.

XI

Dogmata medicinae practicae latina con-
scribere praestet, quam lingua germanica.

XII

Variolarius anisone non in corpore
latere, sed foris decedere videtur.

XIII

—————